

tim opponatur, tum debito satisfaciendi Deo, tum æternæ conjunctioni cum Deo per amorem, et adeptioni salutis, quam impœnitens irreparabiliter excludit, omnem illius spem sibi præcidendo. Secundum hanc doctrinam apparet, quomodo S. THOMAS 2. 2. q. 14. a. 2. in 0. dixerit, impœnitentiam, eo modo, quo dicit permanentiam in peccato, non esse speciale peccatum, sed quamdam peccati circumstantiam: nimirum accepit impœnitentiam negative pro omissione pœnitentiæ secundum se, et permanentiam pro continuatione actus: sicut etiam in 2. d. 43. a. 3. ad 3. ait, perseverantiam esse tantum circumstantiam virtutum.

Advertendum tamen est, quod S. THOMAS dicta quæstione 14. tractans de peccatis in Spiritum sanctum, solo directo proposito non pœnitendi doceat peccatum impœnitentiæ in Spiritum sanctum committi. Hinc cum art. 1. in 0. retulisset doctrinam B. AUGUSTINI serm. 11. de Verb. Dom. (al. 71.) dicentis, peccari in Spiritum sanctum impœnitentia finali, quæ corde, ore, et opere potest contingere; in responsione ad 3. ait, hoc non esse speciale peccatum: *Nam finalis impœnitentia potest esse circumstantia cujuslibet generis peccati.* Hoc autem S. THOMAS usitatum est, ut, quando unum peccatum habet plures circumstantias, quæ ei diversas malitias addere queunt, non vocet plura peccata, sed unum; quod sit ex objecto unius speciei, pluribus licet affectum circumstantiis. Circumstantia ergo persistendi in peccato lethali secundum se non variat speciem, nisi quando urget necessitas ad actum pœnitentiæ exercendum. Quo in casu etsi omissio pœnitentiæ virtualiter solum voluntaria peccatum in Spiritum sanctum esse B. THOMAS non videatur; peccatum tamen mortale impœnitentiæ esse, ac ejusdem speciei, cujus est impœnitentia directe volita, ex eodem S. Doctore intelligimus, qui 3. p. q. 84. a. 7. ad 1. et 2. tradit, esse præceptum naturale pœnitendi: constat autem ad eandem peccati speciem pertinere præcepti violationem, sive directe, sive indirecte voluntaria fuerit.

DISPUTATIO II.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Tractabitur hic I. de veritate hujus Sacramenti. II. De ejus forma. III. De contritione. IV. De confessione. V. De satisfactione. VI. De indulgentiis. VII. De pœnitentia publica. VIII. De ministro hujus Sacramenti, præmissa de eodem sacramento summa doctrinæ catholicæ ex conciliis FLORENTINO et TRIDENTINO.

Decretum Concilii Florentini de Pœnitentia sub Eugenio IV. an. 1439. pro Armenis.

Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis; qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo*, etc. Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis.

Canones Concilii Tridentini de sanctissimo Pœnitentiæ sacramento, Sess. 14. die 25. Novembris an. 1551. sub Julio III.

I.

Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.

II.

Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt : non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorsit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit.

IV.

Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.

VI.

Si quis negaverit, confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit modum secreta confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum, aut demum, non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non feneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesimæ; anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

X.

Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo; et, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt : quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

XIII.

Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jeuniis, orationibus, elemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

XIV.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

XV.

Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad absolvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

CAPUT I.

DEMONSTRATUR VERITAS HUIUS SACRAMENTI.

ARTICULUS I.

AN PŒNITENTIÆ SIT PROPRIUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM?

94. *Nota I.* Montanistæ et Novatiani a non paucis dicuntur Pœnitentiæ sacramentum negasse: verum ut disput. præcedente c. 1. art. 4. ex ipsorum Montanistarum et Novatianorum scriptis docuimus, in eo solum errore hæretici illi versabantur, quod putarent, non esse in Ecclesia potestatem graviora quædam crimina remittendi iis, qui post baptismum in ea sunt prolapsi, sed illorum veniam a solo Deo per jugem in hac vita pœnitentiam impetrari oportere.

Eodem modo nullus veterum, qui Waldenses impugnarunt, hoc ipsis errori tribuit, quod pœnitentiam ex albo sacramentorum expunxerint: imo conceptis verbis asserunt, ipsos agnovisse potestatem in Ecclesia vere pœnitentibus dimittendi peccata. Quoad usum tantum hujus potestatis ipsos errasse testatur Reinerus L. de Sacramento pœnitentiæ contra Waldenses c. 5. quod dicerent, *nullum a malo sacerdote absolvi posse: bonum laicum habere absolvendi potestatem; bono laico potius, quam malo sacerdote esse confitendum: non esse injungendas graves pœnitentias exemplo Christi, etc.*

Nota II. In confessionis Augustanæ Apologia c. 7. de numero et usu sacramentorum, Lutherani ita protestantur: *Si sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint proprie sacramenta... Vere igitur sunt sacramenta baptismus,*

cæna Domini, absolutio, quæ est sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum Dei, et promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti.

Etiam hisce adhuc temporibus videntur Lutherani Saxones pœnitentiam tanquam verum novæ legis sacramentum agnoscere: nam in catechismo minore Lutheri, quo utuntur, titulo de Confessione, ad q. 1. ita habetur: *Confessio duo comprehendit; unum est peccata confiteri: alterum est absolutionem sive remissionem a confessario sive præcone Evangelii accipere, tanquam ab ipso Deo, et non dubitare, sed firmiter credere, peccata per illam absolutionem coram Deo in cælo remissa esse.* Et ad q. 2. *Coram ministro autem debemus tantum ea peccata confiteri, quæ nobis cognita sunt, et quæ in corde sentimus.* Tum minister audita confessione, ita jubetur interrogare confitentem: *Num meam remissionem credis esse Dei remissionem? Affirmanti et credenti porro dicat: Fiat tibi sicut credis. Et ego ex mandato Domini nostri Jesu Christi remitto tibi tua peccata in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen.*

Quamvis autem Lutherus sub initium libri de Captiv. Babyl. ita scribat: *Principio neganda mihi sunt septem sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, baptismus, pœnitentia, panis; circa finem tamen libri ejusdem sententiam mutat, atque: Pœnitentiæ sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi, quam viam ac reditum ad baptismum.*

Item Melancthon in Locis commun. an. 1522. editis, tit. de Pœnitentiæ: *Sacramentum ejus, inquit, vel signum non aliud nisi baptismus est: atque hic omnium rectissime vocetur sacramentum pœnitentiæ.* Eandem pœnitentiam e numero sacramentorum deturbarunt Zwinglius L. de vera et falsa Religione, cap. de Sacramentis, Calvinus L. 4. Instit. c. 19. §. 15. Mathias Flaccus Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis c. 18., Kemnitiuſ, Wigandus, Selneckerus, et plerique Novatorum.

95. *Dico.* Pœnitentia seu ritus ille, quo Christiani pœnitentes et peccata sacerdoti confitentes ab eodem absolvuntur, est verum ac proprium legis novæ sacramentum.

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Christus, Joan. 20. v. 21. et seqq. ait Apostolis: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Verbis hisce Christi tres conditiones continentur, quæ ad sacramentum verum ab ipsis etiam Lutheranis requiruntur, nimirum ritus externus, promissio gratiæ, et mandatum divinum. Nam primo symbolum externum inde apparet, quod Apostoli peccata remittere non potuerint, nisi fideles illa fuerint confessi, et quidem cum signis doloris, quia non remittuntur peccata, quæ non retractantur per pœnitentiam: neque item fideles poterant scire remissa sibi peccata esse, nisi signo externo a sacerdotibus percepto id intellexerint.

Deinde his ipsismet Christi verbis, *quorum remiseritis peccata, etc.* exprimitur gratiæ promissio ritui externo divinitus annexa, eo quod nullum peccatum sine Christi gratia remittatur.

Denique mandatum suum Christus satis declarat, dum ait: *Sicut misit*